

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Menippus sive dialogorum satyricorum centuria inanitatum nostrativum speculum**

**Andreä, Johann Valentin**

**Cosmopoli [i.e. Straßburg], 1618**

49. Fabvlae

[urn:nbn:de:bsz:31-107424](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-107424)

Trajanianum, & Trajanum omnem aliquid Neronianum habere demonstraret.

## 49. FABVLÆ.

**A.** Sæpe soleo historicis irasci, qui res fabulosissimas ausi sunt pro veris venditare, quasi posteritas nihil habitura sit iudicii. **B.** Ut ut magna eorum persæpe culpa sit, non dabit tamen quin multa nobis iam fabulosa credantur, quæ fuerunt quondam verissima. Nam si quis paulo accuratius quorundam temporum tenebras, quorundam impietates, quorundam crudelitates intueatur, & cum felicioribus seculis conferat, nunquam satis potest obstupescere. **A.** Quis vero credat unquam totius prope humani generis rationem tantopere aberrare posse, ut nullibi vero deprehenso ineptissimis opinionibus occupetur, & sub turpissimo errorum imperio acquiescat? **B.** Modò itaque Antichristi fastigium intuere, quibus ineptis & absurditatibus fundatum sit, non minus tamen in admirandam molem, & inuictam prope potentiam excreverit, ut ne nunc quidem, quantum vis clara luce proditum, nocere, ac persuadere desinat. **A.** Quanta religionis vel falsæ vis sit, etiam Numa, ac Mahometus, tum Serapius me docuerunt: interim nemo persuaserit mihi, neminem illis seculis fuisse, qui se tantis impostoribus opposuerit, quique sic fabulosas technas detexerit ut sagacioribus minus potuerint imponere: verum de iis apud scriptores altum silentium, ut conductos

illos credas  
nant, &  
molunt, B  
ans, nam fuer  
trique tamen  
licere licet  
sed lit  
posset in o  
absurdita  
quam ne  
veritatis  
quod ubi  
in epitu  
Deo relinq  
vitiis suis,  
app  
licetur, sed co  
omnium m  
funt! A  
egredior, tisu  
tor: abortu  
tortius or  
tace sis, nan  
quod nul  
posteritas.

50.

Eus vi  
Pater?  
Christus. A.  
Patri?

ductos credas, qui falsa ad posteritatem transmittant, & antiquitatis opinione simplices inuoluant, B. Erras, si id de omnibus suspicaris, nam fuerint aliqui errorum propagatores, ubique tamen humani ingenii infinitam malitiā cernere licet, quam utique non dissimularunt quidam, sed libere prodiderunt Id sufficere nobis posset in optimam cautionem, si non essemus absurditatis quam rationis avidiores. A. Nunquam ne sperabimus fore, ut in arcem aliquam veritatis congregati, id unaminiter eligamus, quod ubiq; optimum, & repudiemus quod passim ineptissimum, monstruosissimumque? B. Id Deo relinquamus; mihi verò sic quælibet ætas vitiiis suis, erroribusq; videtur scatere, ut subsequenti appareat absurdissima, interim non tollitur, sed commutatur ineptia. A. O varia hominum monstra, quibus scriptorum libri referti sunt! B. Ego sane quoties bibliothecam ingredior, risum & admirationem non teneo, inter tot abortuum species & schemata. A. Quid si quis totius orbis historiam & acta possideat? B. O tace sis, nam hoc unum seculum nostrum peragit, quod nulla creditura aut comprehensura est posteritas.

## 50. VRANOPOLITA.

A. **H**Eus viator, quis es? B. Homo. A. **Q**uis Pater? B. Deus. A. Herus vero quis? B. Christus. A. **Q**uis docuit? B. Spiritus. A. **Q**uæ tibi Patria? B. Cælum. A. **D**omus quæ? B. Cor.